

Presbyterii parum ad latus Epistolae. Missale velo albo ornatum deponet in credentia pro Missa, et aliud, quod ad portam Ecclesiae adhibitum fuit, collocet in legili pro Prophetiis, si adsint, qui eas legant.

1450. Celebrans et Ministri parati redibunt ad Altare a latere Epistolae sine ulla reverentia, et in cornu Epistolae sistent ut ad Introitum Missae solemniss. Clerici omnes stent prope abacum: et sic etiamsi Ministri non adessent. Quodsi paramenta aliquam ob causam non essent disposita in scamno neque in abaco, tunc expleto Praeconio omnes, factis reverentiis Altari respective, redeant ad Sacrarium et, assumptis relativis paramentis, redibunt ad Presbyterium manibus iunctis et capite tecto praecedentibus Clericis, et declinato Amictu antequam ad gradus Altaris perveniant, ante infimum gradum omnes genuflectent, excepto Celebrante, qui profunda inclinatione Crucem reverebitur, ascendent per medium, Celebrans Altare osculabitur, et sistent ut supra.

1451. Primae Prophetiae Lector tunc recto tramite accedat capite detecto ad legile, ubi Cruci genuflectat, et manibus positus super librum alte legat aut cantet in tono ordinario lectionis Prophetiam usque ad finem; quod et ab aliis tenendum est. Celebrans interim ipsam Prophetiam (et sic alias) submissa voce integre legat. Cum Lector pervenerit ferme ad finem Prophetiae, Ministri ibunt post Celebrantem ut in Missa solemniss. Finito Prophetiae cantu, Celebrans, caput Cruci inclinans et manus iungens, canit *Oremus*, Diaconus *Flectamus genua*, et Subdiaconus subiungit *Levate*. Ad verba *Flectamus genua* omnes genuflectunt, excepto Celebrante, et surgunt ad *Levate*. Et Celebrans statim, extensis

manibus, in tono feriali cantat Orationem. Lector, completa Prophetia, sistit ad legile usque ad *Flectamus genua*, cum aliis genuflectit et surgit, hinc absque alia genuflexione aut reverentia ad suum locum recedit; quando tamen post Prophetiam habetur Tractus, tunc redit statim ad suum locum, sed facta prius genuflexione. Tractus vel cantentur vel saltem alta voce recitentur in Choro; Celebrans et Tractus integre legere debet. Post Prophetiam duodecimam, ante Orationem non dicitur *Flectamus genua*.

1452. Si Ministri non adsint, *Flectamus genua* dicitur a Celebrante, qui tunc et ipse genuflectit, respondet autem *Levate* Chorus respective Clericus, qui stat in cornu Epistolae. Quod si nec Cantores nec Lectores habeantur, Celebrans omnes Prophetias alta voce legere debet, sicuti et Tractus. Non erit hic inutile addere, abusum non tolerandum esse, alio uti cantu in Prophetiis praeter praescriptum, quod aliquibus in locis fit praesertim ad ultimam.

1453. Si in nostra Ecclesia exstet Fons baptismalis, ad finem ultimae Prophetiae unus ex Clericis tollat Cereum de suo candelabro, alius candelas accendat in candelabris pro Acolythis; et dum ultima cantatur Oratio, Sacrista vel alius Clericus e medio Presbyterii transferat legile ad Baptisterium simul cum Missali. Oratione completa, Celebrans cum Ministris descendat a latere in planum, et ad scamnum demittat Planetam et Manipulum, induatque Pluviale: Ministri dimittant Manipulum; hinc ordinatur processio.

1454. Praecedat Clericus tenens Cereum elevatum, sequatur alius cum Cruce inter duos Acolyths te-



nentes candelabra cum candelis accensis, si Clericorum numerus habeatur sufficiens, alias Crucifer solus; incedant postea Cantores, si adsint, et inde Fratres omnes per ordinem; ultimo Celebrans manibus iunctis inter Ministros, vel duos Clericos, qui fimbrias Pluvialis sustinebunt. Antequam de Presbyterio discedant, omnes genuflectunt Cruci Altaris, exceptis Clericis qui deferunt Cereum, Crucem et candelabra, qui nec genuflectunt neque ullam reverentiam faciunt, ac Celebrante, qui tantum facit inclinationem profundam: omnes autem incedunt capite detecto, exceptis Celebrante et Ministris. Cantores, vel Celebrans, si Cantores non adsint, statim incipiunt Tractum *Sicut cervus*, vel cantando vel alta voce recitando pro opportunitate.

1455. Ad cancellos Fontis omnes sistent: Crucifer a dextris versus ad Celebrantem, inter Acolythos, Clericus qui fert Cereum magis prope Baptisterium, caeteri in ordine dispositi iuxta capacitatem loci. Celebrans nudato capite, sicuti et Ministri, extra ingressum, legens ex Missali, quod ante ipsum apertum tenet Clericus, in tono feriali dicit iunctis manibus: *Dominus vobiscum* et *Oremus. Omnipotens sempiterne Deus* etc. Postea Clericus cum Cereo, et Crucifer aliique Clerici intrans cancellos Baptisterii, si locus permittat, et stabunt contra Celebrantem, qui accedens ad Fontem, dicit: *Dominus vobiscum* et aliam Orationem, pariter iunctis manibus, alte legens vel cantans in tono feriali, et alia prosequitur prout in Missali adnotantur, elevans et demittens vocem uti ad singula Rubricae Missalis indicant, licet non cantet.

1456. Post aquae benedictionem, antequam infundantur Olea, si quis alius Sacerdos adsit, superpelliceo indutus et Stola violacea, hauriet vasculo aliquantulum aquae, et aspergillum ex ipsa perfusum tradet Celebranti, qui seipsum signabit, et postea Sacerdotem ipsum ac Ministros asperget et aspergillum restituet. Ipse autem Sacerdos, comitante Clerico cum vasculo, asperget omnes de Clero, deinde populum per Ecclesiam incedens, et redibit deinde ad Fontem. Si vero alius Sacerdos non adesset, ipse Celebrans ista omnia perficiet. Interim Sacrista cum Clericis aquae partem hauriet a Fonte vasis praeparatis, infundet conchis apud ianuas Ecclesiae, et partem servabit in usum Fidelium. Reverso Sacerdote qui aspersionem peregit, seu ipso Celebrante, prosequuntur caetera, ut in Missali. Si qui erunt baptizandi, Celebrans, postquam sacra Olea expanderit per totam aquae superficiem, manus gossipio absterget, et Baptismum conferet iuxta Ritualis Romani praescripta.

1457. Collato Baptismate, vel si nullus sit baptizandus, finita benedictione Fontis, Celebrans lavet manus ipsas abstergendo medulla panis et fragmentis mali medici more solito, ministrantibus Clericis et Ministris (si adsint); deponat Pluviale album, si eo usus sit pro administratione Baptismi et Stola, et paramenta violacea iterum induat; et processio ad Altare eodem quo venit redeat ordine. Cantores interim, si adsint, Litanias incipiunt<sup>1</sup>, Fratribus idem respondentibus, quas prosequuntur in Choro flexis genibus. Cum perventum

<sup>1</sup> S. Rit. C. 7 Septemb. 1861, in una S. Marci et Bisiniani, ad II.



fuerit ad Altare, Clericus ferens Cereum, illum ponit in suo candelabro; Crucifer Crucem deponit in cornu Evangelii ad murum prope cancellos; Acolythy candelabra referunt ad credentiam, caeteri, facta genuflexione et mutua inter se reverentia, redeunt unusquisque ad suum locum; Celebrans cum Ministris, nudato ante Altare capite, Crucem reveantur, Celebrans inclinatione profunda, Ministri genuflexione, et accedant ad scamnum, ubi Celebrans deponit Pluviale: et inde simul iuncti cum Clericis procedant ad Altare, ibique procumbant, ut dicitur.

1458. Si Fons baptismalis non exstet, finita Oratione post ultimam Prophetiam, Celebrans, facta Cruci reverentia stando in latere Epistolae, descendat per idem latus cum Ministris seu Clericis, accedat ad scamnum, deponat Planetam et Manipulum, itemque Manipulum deponant Ministri, si adsint. Interim, si habeantur Cantores ad Litanias cantandas, Clericus cussinum (vel tres, si adsint Ministri) ponat super gradus Altaris: Celebrans cum Ministris et Clericis procedat ad Altare manibus iunctis, et facta respective inclinatione, seu genuflexione, omnes inde procumbant genuflexi in infimo gradu: Celebrans et Ministri se prosternant, brachia ponentes super cussinum, quem sibi quisque adaptet: Clerici genuflexi maneant, non prostrati. Duo Cantores statim Litanias incipiunt ut in Missali notantur, nihil omnino, nec verbum quidem addentes, et alii integros versus repetant ex toto. Ad versum *Peccatores* Celebrans et Ministri surgunt cum Clericis, et facta respective reverentia seu genuflexione, ibunt ad Sacrarium (si proximum sit, alioquin ad praedictum scam-

num), capite tecto ad sumenda paramenta alba pro Missa. Interea amovebuntur ab Altari pallium violaceum, extendetur super gradus tapete solemne, accendentur Altaris candelae, ponentur super mensam tabellae Secretarum, Missale super legile velo albo obtectum: immo et vasa florum inter candelabra, nisi facile poni possint tantum ad *Gloria in excelsis*. Omnia violacea hucusque adhibita referantur ad Sacrarium: omnia sint festiva.

1459. Ubi Cantores non habeantur nec Ministri, sive Fons baptismalis adsit sive non, Litaniae dicendae erunt a Celebrante cum iam erit ad Altare: ideoque Celebrans ad scamnum deponit Pluviale aut Planetam, cum Manipulo<sup>1</sup>. Clericus praeparet in gradibus Altaris scabellum et super ipsum Missale apertum ad Litanias: Celebrans inde ad Altare procedat cum aliis Clericis, et facta respective inclinatione vel genuflexione, omnes genuflectunt in infimo gradu, et Celebrans alta voce Litanias recitet, Clericis omnia repetentibus. Ad verbum *Peccatores* tollatur pallium violaceum, accendantur candelae, et omnia fiant, ut numero praecedenti. Celebrans integras Litanias dicat usque ad *Christe exaudi nos* inclusive, et tunc erectus et facta inclinatione profunda Cruci, cum Clericis redeat ad Sacrarium ad assumenda paramenta alba pro Missa.

1460. Si itaque Litaniae cantatae sint, Celebrans (cum Ministris si adsint), Acolythy et Thuriferarius ad finem Litaniarum procedant ad Altare, ita ut ibi sint, dum in Choro cantatur *Christe audi nos*; si vero Li-

<sup>1</sup> Memorial. Rit. Bened. XIII, t. 6, c. 2, § 3, n. 4: De Herdt. Sac. Liturg. prax. t. 3, p. 5, n. 64: Cavalieri t. IV, c. 21.



taniae cantatae non sint, Celebrans vix paratus ad Altare accedat modo quo fieri solet, quando Missa apud nos cum incenso celebratur, hodie enim maxima cum solemnitate celebranda est.

**1461.** Missa non differt ab aliis, nisi in quibusdam quae hic notantur. Dicto Ps. *Iudica* cum *Gloria*, et facta Confessione etc. de more, thurificatur Altare. Facta incensatione, si Missa cantetur, Celebrans in cornu Epistolae dicit *Kyrie* respondentibus Ministris, alias dicit in medio respondentibus Clericis. Ad intonationem *Gloria in excelsis*, pulsantur campanulae ad Altare, Sacrarium, ianuam etc. (quoad campanam turris, servanda erit lex Concilii Lateranensis sub Leone X); deteguntur imagines Sanctorum in Altaribus, saltem in maiori Altari, ubi celebratur Missa. Post Epistolam Celebrans ter intonat *Alleluia*, vocem semper elevando, etsi non cantet, aliis respondentibus eodem tono. Postea Chorus prosequitur,  $\Psi$ . Ps. 117. *Confitemini Domino* etc. Ad Evangelium, si cantetur a Diacono, non deferantur luminaria, sed Acolythy assistant iunctis manibus. Non dicitur *Credo*, neque Offertorium. In Praefatione dicitur: *In hac potissimum nocte; in Communicantes: noctem sacratissimam.* Non dicitur *Agnus Dei*, nec datur osculum pacis; dicuntur tamen tres Orationes consuetae ante Communionem.

**1462.** Peracta consummatione, Chorus cantat Antiphonam *Alleluia*, Psalm. *Laudate Dominum omnes gentes* cum *Gloria*, et iterum cantat Antiphonam. Celebrans, sumpta ablutione, vadit in cornu Epistolae, et submissa voce cum Ministris et Clericis dicit Antiphonam et Psalmum etc. stantibus Ministris, ut ad Introitum Missae.

Repetita a Choro Antiphona, Celebrans intonat *Vespere autem Sabbati*; Chorus prosequitur et cantat *Magnificat*. Celebrans se signat, cum Ministris venit in medium, ponit incensum in thuribulo, et Altare thurificat, ut initio Missae, dicens interim cum Ministris vel Clericis *Magnificat* et repetens Antiphonam. Diaconus, seu primus Acolythus (si non adsint Ministri), accepto cum osculis thuribulo, Celebrantem incensat hinc more solito. Repetita in Choro Antiphona *Vespere autem Sabbati*, Celebrans redit ad medium, osculatur Altare, et versus ad populum cantat *Dominus vobiscum*, et complet deinde Sacrum, ut alias, excepto quod Diaconus aut Celebrans (si Diaconus non adsit), ad *Ite Missa est* addit duo *Alleluia*. Si neque Ministri neque qui Chorum efformant, habeantur, Celebrans Vesperas dicit alta voce cum Clericis.

**1463.** Finita Missa, Celebrans cum aliis revertitur solito ordine ad Sacrarium, ubi sacra paramenta deponit, et, lotis manibus, gratias agit. Si quis alius Sacerdos adsit, induit superpelliceum et Stolam albam, ac comitantibus Clericis procedat ad locum, ubi Sanctissimum Sacramentum repositum manet, et ritu consueto extrahat Pyxidem, et Velo humerali obtectam, praecedentibus duobus Clericis cum candelis accensis, alio subsequente cum umbella, referat ad Altare et in Tabernaculo includat. Si autem nullus adesset Sacerdos, idem faciat ipse Celebrans, sed depositis prius sacris paramentis, et non cum Alba et Stola, verum indutus superpelliceo et Stola alba<sup>1</sup>; et reversus in Sacristiam

<sup>1</sup> Memoriale Rit. Bened. XIII, t. VI, c. II, § VII, n. I.



dicat Antiphonam *Trium puerorum* cum *Alleluia* etc. pro gratiarum actione. Clerici inde extinguant candelas Altaris et Cereum, arundinem vero extinctis candelis totaliter amoveant. Si qui post Missam sacram Eucharistiam recipere velint, hoc licere S. Rit. C. pluries declaravit, immo et posse paschali praecepto satisfieri, si Ecclesia parochialis sit. Hodie aliae Missae prohibita sunt praeter unicam solemnem.

## CAPUT VII.

## DE PASCHA ET TEMPORE PASCHALI.

§ I. — *De Pascha et eius Octava.*

1464. Pascha Resurrectionis D. N. I. C., dies quam fecit Dominus, vocata a Patribus nobilitas anni, mensium lux, alma dierum, celebratur ritu totaliter proprio; uti in Breviario et Missali aliisque libris liturgicis indicatur; perpauca de hac solemnitate adnotare iuvabit.

1465. In Officio huius diei et per Octavam non dicuntur Capitula, Hymni, nec ad Horas minores et Completorium Responsorialia brevia: sed eorum loco dicitur ad singulas Horas Officii Antiphona: *Haec dies, quam fecit Dominus* etc., quae intonari debet ab Hebdomadario et ab omnibus prosequenda est stantibus et capite detecto. In fine Laudum et Vesperarum ad *Benedicamus Domino*, per totam Octavam, seu usque ad Vesperas Sabbati in Albis exclusive, Octava enim

terminatur post Nonam, duo adduntur *Alleluia* et sic ad *Deo gratias*. Dominica ipsa Resurrectionis, ad Primam, Lector Martyrologii antequam pronunciet *Calendas*, tono vocis elevato et solemniter annuntiat paschalem Solemnitatem dicens: *Hac die quam fecit Dominus, Solemnitas* etc. uti habetur in principio Martyrologii; interea omnes in Choro stabunt detecto capite. Lector hinc breviter pausabit, donec omnes sedeant, inde prosequetur, more solito pronuncians *Calendas* etc.

1466. Ante Missam solemnem seu conventualem, ab ipsomet Celebrante fiat aspersio, sed si in Ecclesia hesternam die benedictus sit Fons baptismalis, facienda est ex aqua ab ipso extracta ante Oleorum infusionem: cantabitur autem, aut alta voce dicetur, praeintonante Celebrante: *Vidi aquam* etc. et ad versiculum *Ostende nobis* etc. ac relativum Responsorium addetur *Alleluia*: quod servabitur singulis Dominicis usque ad Pentecosten inclusive. Ante eandem Missam (et non ad Evangelium, uti erronee fit in aliquibus locis) accendatur Cereus et extinguatur peracta totaliter Missa: et accendatur pariter ad Vesperas, si solemniter dicantur. Erit autem accendendus Cereus aequaliter Feria secunda et tertia sequenti: Sabbato et Dominica in Albis: Dominicis usque ad Ascensionem, et in omnibus festis solemnioribus; quoad alia festa occurrentia infra id tempus, servari poterit locorum consuetudo.

1467. Die solemniter Paschae prohibitum est in Ecclesiis Regularium, nisi sint paroeciales, Eucharistiam non subditis administrare, etiamsi communicare vellent devotionis causa. Romae prohibitum est etiam Feria V